

8400 Phys. Vol. III


AUGUSTINUS HENRICUS
FASCHIUS, D.

Anatom. Chirurg. & Botan.
Prof. Publ.

& Archiater, h t. Collegii Medici
DECANUS

S. P. D.

LECTORI BENEVOLO.



Physiol.
261, 14.

De Respirationis summa necessitate.

Physiol. VII. 4.

AUGUSTINUS HENRICUS

FASCHIVS, D.

Anatom. Chirurg. & Botan.

Prof. Publ.

& Archivar, h. t. Collegii Medic.

DECANUS

S. P. D.

LECTORI BENEVOLO

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



Vitam & famam pari passu ambulare, elegans quidem est; sed jam tum nota parœmia: Etenim utramque quisque bonus pariter æstimat, nomen suum dignitatemque cordi habens, & vitam pro illâ ponens, quâ sine hac tædiosa est; imò nulla.

A verò non aberrabit, qui verbulo mutató vitam & respirationem pari passu ambulare asseret. Hujus enim quanta sit ad perennendam vitam necessitas, vel me tacente ipsa eloquitur experientia, rerum magistra.

Cibò ad longum & satis notabile tempus abstinnisse quosdam legimus: aëreâ aurâ semper vescimur, ac ne momento quidem absque præsentissimo vitæ periculò carere eâdem possumus.

Ita nempè est, quamdiu respiramus, tamdiu vivimus; quando exspiramus, morimur. Unde præclarè Princeps Philosophorum Aristoteles *lib. d. respir. cap. 21.* τὸ ζῆν ἐν τῷ ἀναπνεῖν καὶ ἐμπνεῖν, in *hauriendo & reddendo spiritu (aëre)* sitam esse vitam pronuntiavit; & hinc veteribus nomen ψυχὴ à ψύχω non minùs, quàm *animus* ab ἀνεμῷ derivatum dicitur, eosdem scil. respirationis ac vitæ limites agnoscentibus.

Confirmant hoc ipsum animalia vegetissima, quæ vi ac motu machinæ Boyleanæ evocatò aëre, destituta subitò languescunt & deliquium patiuntur, immisò verò iterùm tempestivè satis aëre, in momento sibi restituuntur & in vitam quasi revocantur.

Eòdem experimenta etiam collimant alia, quando in animalibus, ob sternum, costasque ipsas amputatas in agone constitutis, inspiratò super pulmones aut venam cavam aëre, animæ reviviscunt reliquæ, pulsus cordis extinctus resuscitatur, & diutiùs in vita conservantur subjecta.

Verumenimverò, phænomenorum talium elegantium ratio neutiquàm in cordis sive sanguinis refrigerio, neque in fuliginum aut vaporum secretionem, aut alio simili viliori negotio, sed in sanguinis calore ipsiusque vitalis flammulæ, à quâ vita pendet, & cui aëris ista reciprocatio ministrat, perpetuatione quærenda venit.

Ut enim in foculò suo perenniter ardeat vitæ nostræ lampas, & singulis corporis partibus influxu vitali refocillandis par sit, pabulo primùm oïso (ellychnii oleo per analogiam respondente) opus est, & aëris deinde perpetuò affluxu, qui istud in pulmonibus subtilisando nutriendæ micanti in corde flammulæ accommodet: non absimili planè modò, quò per folles insufflatò aëre, flamma circum ligna accenditur.

Videlicet, quod in chimicorum foculis videmus, ab aëris admissi quantitate ignis dependere regimen, eundemque vel intendi liberiori aëre ventilatum, vel extinguì penitus, istò velut pabulò subtractò.

Idem in nobis perpetuò observamus, ab inspiratò aëre sustentari vitalem cordis luculam, ac extinguì
pro-

protinùs, spiritu ad breve temporis intervallum præ-
cluso. Experiri hoc ipsum quisque suò poterit in car-
po. Respiratione liberâ pulsus viget naturaliter; eâ-
dem ad tempus retentâ, tardior fit & magis magisque
suppressus observatur; jam verò liberiùs redditò aë-
re, vegetior in momentò & citatior observatur iterùm
pulsus.

Quò nobilior verò respirationis usus, eò periculo-
sior certè lasio & gravior est indè resultans noxa, in
vitam ipsam redundans, & si non mortem, gravissimè
tamen semper luenda; *sive* oclusò ductu, per quem
aër meare & remeare debet, ut in *anginâ*; *sive* impe-
ditò ob influxum spirituum animalium denegatum
thoracis motu, ut in *syncope* & *apoplexiâ fortiore*; *sive*
affectis partibus principaliter ipsi inservientibus inter-
cipiatur, ut in *peripneumonia*. Malum *hæc* dirissimum
est, in quò solo omnia respirationis symptomata in u-
num quasi conspirare videntur; cujus historiam ad-
umbrabit, nec non amoliendi rationem methodo me-
dendi conformem eruditâ inaugurali disputatione ex-
ponet Candidatus noster dignissimus, juxta ac Clarif-
simus:

ANDREAS BECHMANNUS, Physicus

h. t. Königsbergensis in Franconiâ ordinarius;

ea propter ulteriori istius inquisitioni supersedebimus;
& potiùs, quæ de vitæ integritate studiorumque felici
progressu notari merentur, hic adnectemus.

Nactus verò *is* est patriam, celeberrimam nostram
Academiam, JENAM, Anno O. R. M D C L X I I.
di XVI. Maji, non infelici omine.

) (3

Pater

Pater ejus est Vir Maximè reverendus, Ampliff. Excellentissimus *Fridemannus Bechmannus*, SS. Theol. Doctor, ejusdemque Professor Publ. celeberrimus, Facultatis Theol. Senior oppidò venerabilis, Collega noster pl. honorandus; *Mater* verò, dùm viveret, nobilissimis virtutibus conspicua, *Margaretha*, Viri Nobilissimi atque Consultissimi, *Andreae Rotbii*, Consiliarii quondam Schvvarzburgici filia.

Simulac autem ætas ferret, concreditus fuit curæ Præceptorum domesticæ, ut in pietatis & sinceræ religionis capitibus probè informaretur, animusque simul ad humaniora duceretur studia: quâ in operâ aliquot per annos laudabilem præstiterunt manu-ctionem Viri Clarissimi, *M. Martinus Herbstius*, Ampliff. Facult. Philosoph. t. t. Adjunctus, post Rector scholæ Oppidanæ Eislebiensis & tandem Ecclesiasta gravissimus, quem dira pestis ibidem vivere amplius denegavit; & *M. Gabriel Reusselius*, prælaudatæ Facultatis Philosoph. itidem t. t. Adjunctus, b. m. cujus imprimis solertiâ ac informatione privatissimâ *Noster* ad sublimiora præparatus fuit studia, ut fundamentis in philosophia feliciter jactis, curiosam rerum naturalium scientiam, doctrinam nempe *animalium & generationem pullorum*, distinctis vicibus à Nobiliff. & Excellentissimo *Caspare Posnero*, Phys. Prof. Publ. celeberrimo, propositam & explicatam notabili studiorum suorum incremento audiverit.

Posthæc intimius se studio applicare medico cepit, indefessâque operâ Nobiliff. Experientiff. excellentissimos Medicinæ Professores secutus est, & quidem Seniore nostrum venerandum, *Rudolfum Guilielmum*

Crau-

Crausium, Phil. & Med. Doct. Prax. & Chimia Prof. Publ. celebratissimum *methodum tuenda sanitatis* prælegentem & chemicas in ÷io operationes instituentem; ut & Magnificum h. t. Rectorem, *Georgium Wolffgangum Wedelium*, Med. Doct. Theoret. Prof. Publ. celeberrimum, Consiliar. & Archiatrum Sax. gravissimum *institutiones medicas* explicantem, in *Macasium* commentantem & *de facultatibus medicamentorum* disserentem. Utriusque fidelissimam informationem gratissimo jam deprædicat animo.

Meis etiam scholis botanicis, chirurgicis & anatomicis, publicis ac privatis, sedulò interfuit & nunquam non industrius comparuit auditor.

Ita instructus consensu Parentis venerandi se *Gotham* contulit ad Virum Nobil. Ampliss. & Experientissimum, *Johannem Andream Bechmannum*, Reipubl. ibidem Medicum felicissimum, Agnatum suum, à quò ad praxin *Noster* deductus atque in eadem ultra triennium probè exercitatus fuit, usque dùm ante annum & quod excurrit, singulari Dei providentiâ à Serenissimo Principe, ERNESTO, Duce Saxonie, Juliaci, Clivie ac Montium &c. Con-Nutritore Academiae nostræ munificentissimo, Principe ac Domino nostro clementissimo, *Medicus Reipublicæ Königsbergensis in Franconia* vocaretur & clementissimè constitueretur; quam spartam etiam hucusque sibi concreditam consiliis salubribus egregiè ornavit, & hinc se dignum honoribus Academicis fecit.

Proindè judicio Patronorum venerandique sui Parentis consensu ad supremos in arte Medicâ honores aspirans, Nostræ Facultati desiderium suum nuperius

periùs

perius modestissime exposuit. qui ad examina consueta admissus ita satisfecit Examinatoribus, ut disputationem inauguralem de PERIPNEVMONIA sub clypeo supra laudati Magnifici Rectoris W E D E L I I publicè in cathedrâ habenda plenissima ipsi fuerit concessa potestas.

Uit verò Rector designatus Magnificus, Patres Academiae venerandi, omnium Ordinum Doctores, & omnes artis Medicæ Fautores actum huncce disputatorium ad diem XIX. currentis mensis habendum gravissimâ autoritate & honorificâ præsentia decorare haut grauentur, peramanter ac officiosè

rogito. Dab. JENÆ sub Sigillo Facultatis

Anno M DC LXXXVII. Ja-

nuarii XVI.

L. S.